



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cvrис Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.I.], 1645

§. 1. Nec nihil, nec omnia curare homines debere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

SPES ET FIDUCIA,
CURIS IUDICIISQUE DEI,
ERGA HOMINES
IN HAC VITA EXISTENTES,
FIRMATA.

C A P V T I.

*Aliunde maximè relictos, à Deo maxime
curari, ostenditur exemplis veteris
Testamenti.*

§. I.

*Nec nihil, nec omnia curare homines
debere.*



Raculi suffragio sapientissimus
Socrates solebat dicere: *Si quid
cura potest, illud cures: at si Deus
ipse te curat, cur tu solicitus tibi sis?*

Maxe
serm.
de Pre
uid.

Duo monuit, ne negligentes simus, vbi De-
us nos vult, labore nostro aliquid emere; &
ne, vbi opera nostra inutilis est, diffidamus
Deo nos curanti. Ob primum, ait S. Augu-
stinus: *Cum viderimus, aliquem sernum Dei
prividere, ne ista necessaria sibi desint, non iu-*

S. Aug.
lib. de

A

dice-

2 Cap. I. Relictos à Deo curari,

serm. Do-
mini in
monte.

dicemus, eum de crastino solicitum esse: nam & ipse Dominus, propter exemplum, loculos habere dignatus est: & in Actibus Apostolorum scriptum est: Ea quae ad vitam sunt necessaria, procurata esse in futurum, propter imminentem famem. Ob secundum multa nobis paternæ suæ curæ exempla Dominus reliquit, quæ meritò possint spem fiduciāmq; nostrā accendere.

§. II.

Auxilia etiam in alijs, spem in solo Deo ponendam.

Petr. Ri-
bad. in
vita S.
Ignat. l.
§. c. 9.

Et quanquam, ut in proverbio est, manus cum Deo mouendæ sunt, Sanctus tamen Ignatius noster egregiè docuit, semper pluris faciendam Dei opem, quam omnia mortaliū auxilia. Adiit aliquando Ignatius ad salutandum Principem virū nostri studiosum, à quo minus officiosè, quam par erat, exceptus est. Caussam Ignatius arbitratus est, quod minus eius opera, ad res Societatis, atq; patrocinio uteretur. Erat enim, aut videri volebat Societas nostra percupidus, molesteq; forsitan ferrebat, quod alios, ad nostram defensionem, se prætermisso, potius adhiberemus. Tunc Ignatius mihi, Dicam, (inquit) illi, & aperte dicam, me ante 30. annos à Deo didicisse, ut in ijs effici-